

1593 gnaculis, in ejus regni visceribus haerint, praedivitem atque uberrimam Sirvani provinciam Ottomanorum imperio adjecerint. Idem posthac sagaci admodum ingenio homines facturos quis ambigat? Quae cum ita sint, pandere ne potentissimo hosti sinum volumus, cujus toties fidei viriumque periculum fecimus? An arbitramur, si pedem in his regionibus fixerit, facile rejici ac repelli posse? Vel potius, nullo obsistente, usque ad Liqueciam amnen venturum; eo trajecto, Taurisii quoque civitatem expugnaturum. Una sane omnium, eorumque imprimis, qui militari disciplina pollent, constans semper sententia exitit, in Forijulii provincia arcem egregiam munitissimamque excitandam, quae aditum hosti praeccludat, impetum sistat; ne solutus libere pervagetur, probibeat; non sumptu, non operis difficultate, non tempore, non forma, non denique construendi ratione deterreri oportere; quae omnia potius, ut, menti insueto timore injecto, vos a sententia revocarent, disceptata arbitror, quam, ut in summi momenti re, in consultationem cadere possint. Quis enim provincias, imperium, gentes auro, pecuniae, aerario comparaverit? Princeps praepotens ac praedives habendus is est, qui subjectos multos, late patentes regiones, arces munitissimas possidet. Quis porro ignorat, magna atque egregia quaeque ardua esse ac difficilia; fortitudine tamen, constantia, obnixo studio superari? At quae difficultates hujusce Senatus consulti fructum intercipere possunt, quin, eo rejecto, multo graviora majoraque pericula subeamus? An haec Senatuum ab aliis munitionibus terra marique fabricandis deterruerit; cum hac tempestate nemo Princeps inter Christianos censeatur, qui tot, incredibili opere, immenso sumptu praevallidas atque impervias fere arces obtineat? Excisi montes, sublatae planities, impenetrabilia fere saxa excavata. Quid Cretenses, quid Corcyraeas praecipue memorem, quarum moles amplitudine atque artificio humanum fere captum superant? Quid in continente exstructas Pisceriam, Lemniacum, Urceos novos, ac praesertim Bergomum & Brixiam, ambas hac tempestate mirandum in modum permunitas? An impensa vos remorata est? an labor deterruit?